

Albertus dei gratia Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopus — — —. Datum Magdeburg anno domini M° CCC LX nono dominica Quasimodo (No. 124).

Post quarum litterarum praesentationem fuimus pro parte dictorum .. conventus de Lypzka requisiti ut ad executionem praedictorum mandatorum procedere deberemus. Quare vobis omnibus et singulis supradictis in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quam in vos et quemlibet vestrum trium dierum canonica monitione praemissa ferimus in his scriptis si non feceritis quod mandamus, districte praecipiendo mandamus, quatenus praefatum Vlricum quondam praepositum in Lypzka personaliter inventum, alias publice in ecclesiis vestris seu ubi mansionem seu domicilium trahit et specialiter in ecclesia collegiata Lypzk ad nostram preemtorie citetis praesentiam, quem et nos praesentibus citamus, ut proxima feria secunda ante ascensionem domini coram nobis Magdeburg in iudicio hora vesperorum compareat legitime ad dicendum seu allegandum causam rationabilem, quare sententia privationis per reverendum dominum .. episcopum Mersburgensem contra ipsum lata et per apostolicam sedem confirmata debitae executioni non debeat demandari, alioquin in ipso negotio quantum de iure fuerit procedemus eius contumacia non obstante, fidem nobis executionis vestrae per instrumenta publica vel alias patentes litteras facientes. Datum Magdeburg anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono die nona mensis Aprilis.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem beschädigten Siegel an einem von der Urk. selbst z. Th. losgetrennten Pergamentstreifen.

No. 126. 1369. 30. Apr.

*Notariatsinstrument, wornach Prior und Convent zwei Anwälte erwählt und denselben Vollmacht in der Streitsache des Klosters mit dem ehemaligen Probst Ulrich von Maltitz ertheilt haben.*

In nomine domini amen. Anno nativitatis eiusdem M° C° C° C° LXIX indictione septima mensis Aprilis die ultima hora nona vel quasi pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Urbani divina providentia papae quinti anno septimo in mei notarii publici et testium infrascriptorum praesentia constituti honorabiles viri et domini Theodericus prior, Johannes procurator ceterique canonici monasterii sancti Thomae in Lypzk ordinis sancti Augustini Merseburgensis diocesis fecerunt constituerunt et ordinaverunt suos veros et legitimos procuratores actores factores defensores et nuntios speciales providos viros dominum Bertoldum de Embeke canonicum ecclesiae sancti Nycolai in Novo foro Magdeburgensis et dominum Nycolaum de Gerungishain canonicum monasterii supradicti absentes tamquam praesentes et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis sed quod unus eorum inceperit alter prosequi valeat et finire in causa, quam habent vel habituri sunt cum Olrico de Maltize quondam in dicto monasterio praeposito et in omnibus aliis suis et saepedicti monasterii litibus controversiis atque causis tam motis quam movendis per eos contra aliquem quam per aliquem seu aliquos contra ipsum conjunctim vel divisim coram quocunque iudice vel auditore ecclesiastico vel